

# CLASSICAL TRIPOS Part I

---

Monday 11 June 2001 9 to 12

---

Paper 3

## LATIN TRANSLATION

*Translate all the passages.*

*Please tie up each Section separately.*

**The Examiners will give equal weight to each Section.**

*Write your number (not your name) on the cover-sheet of each Section.*

**It is important to write good English.**

**You may not start to read the questions  
printed on the subsequent pages of this  
question paper until instructed that you  
may do so by the Invigilator**

## SECTION A

*Translate:*

A1

in testamento quidam scripserat ut sibi monumentum ad exemplum eius quod in via Salaria esset Publui Septimii Demetri fieret; nisi factum esset, heredes magna pecunia multarunt. cum id monumentum Publui Septimii Demetri nullum reperiebatur, sed Publui Septimii Damae erat, ad quod exemplum suspicabantur eum qui testamentum fecisset monumentum sibi facere uoluisse, quaerebant heredes cuiusmodi monumentum se facere oporteret et, si ob eam rem nullum monumentum fecissent quia non reperirent ad quod exemplum ficerent, num poena tenerentur. respondit si intellegeretur quod monumentum demonstrare uoluisset is qui testamentum fecisset, tametsi in scriptura mendum esset, tamen ad id quod ille se demonstrare animo sensisset fieri debere; sin autem uoluntas eius ignoraretur, poenam quidem nullam uim habere, quoniam ad quod exemplum fieri iussisset, id nusquam exstaret, monumentum tamen omnimodo secundum substantiam et dignitatem defuncti exstruere debere.

ALFENUS VARUS (first c. B.C.), *Digest* 35 1 27

A2

quid tam in nauigio necessarium quam latera, quam cauernae, quam prora, quam puppis, quam antemnae, quam uela, quam mali? quae tamen hanc habent in specie uenustatem, ut non solum salutis sed etiam uoluptatis causa inuenta esse uideantur. columnae templa et porticus sustinent; tamen habent non plus utilitatis quam dignitatis: Capitoli fastigium illud et ceterarum aedium non uenustas sed necessitas ipsa fabricata est; nam, cum esset habita ratio quem ad modum ex utraque tecti parte aqua delaberetur, utilitatem templi fastigi dignitas consecuta est; ut, etiam si in caelo Capitolium statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum fuisse uideatur. hoc in omnibus item partibus orationis euenit, ut utilitatem ac prope necessitatem suauitas quaedam et lepos consequatur; clausulas enim atque interpuncta uerborum animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt: id inuentum ita est suaue ut, si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare uerba nolimus; id enim auribus nostris gratum est quod hominum lateribus non tolerabile solum sed etiam facile esse possit. longissima est igitur complexio uerborum quae uolui uno spiritu potest; sed hic naturae modus est, artis alias.

CICERO *De Oratore* III 180–182

## SECTION B

*Translate:***B1**

interea classem uelis aptare iubebat  
 Anchises, fieret uento mora ne qua ferenti.  
 quem Phoebi interpres multo compellat honore:  
 ‘coniugio, Anchisa, Veneris dignate superbo,  
 cura deum, bis Pergameis erepte ruinis,  
 ecce tibi Ausoniae tellus: hanc arripe uelis.  
 et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est:  
 Ausoniae pars illa procul quam pandit Apollo.  
 uade,’ ait ‘o felix nati pietate. quid ultra  
 prouehor et fando surgentis demoror Austros?’  
 nec minus Andromache digressu maesta supremo  
 fert picturatas auri subtemine uestis  
 et Phrygiam Ascanio chlamydem (nec cedit honore)  
 textilibusque onerat donis, ac talia fatur:  
 ‘accipe et haec, manuum tibi quae monimenta mearum  
 sint, puer, et longum Andromachae testentur amorem,  
 coniugis Hectoreae. cape dona extrema tuorum,  
 o mihi sola mei super Astyanactis imago.  
 sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;  
 et nunc aequali tecum pubesceret aevo.’

VIRGIL *Aeneid* III 472–491**B2**

quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?  
 quam ferus et uere ferreus ille fuit!  
 tum caedes hominum generi, tum proelia nata,  
 tum breuior dirae mortis aperta uia est.  
 an nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra  
 uertimus, in saeuas quod dedit ille feras?  
 diuitis hoc uitium est auri, nec bella fuerunt,  
 faginus adstabat cum scyphus ante dapes.  
 non arces, non uallus erat, somnumque petebat  
 securus uarias dux gregis inter oues.  
 tunc mihi uita foret uulgi nec tristia nossem  
 arma nec audissem corde micante tubam.  
 nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis  
 haesura in nostro tela gerit latere.  
 sed patrii seruate Lares: aluistis et idem,  
 cursarem uestros cum tener ante pedes.  
 neu pudeat prisco uos esse e stipite factos:  
 sic ueteris sedes incoluistis aui.  
 tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu  
 stabat in exigua ligneus aede deus.

TIBULLUS I 10 1–20

faginus *of beech*  
 scyphus *cup*

[TURN OVER]

uos modo uenando, modo rus geniale colendo  
     ponitis in uaria tempora longa mora.  
 aut fora uos retinent aut unctae dona palaestrae,  
     flectitis aut freno colla sequacis equi;  
 nunc uolucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo;  
     diluitur posito senior hora mero.  
 his mihi summotae, uel si minus acriter urar,  
     quod faciam, superest praeter amare nihil.  
 quod superest facio, teque, o mea sola uoluptas,  
     plus quoque, quam reddi quod mihi possit, amo!  
 aut ego cum cara de te nutrice susurro,  
     quaeque tuum, miror, causa moretur iter;  
 aut mare prospiciens odioso concita uento  
     corripio uerbis aequora paene tuis;  
 aut, ubi saeuitiae paulum grauis unda remisit,  
     posse quidem, sed te nolle uenire, queror;  
 dumque queror lacrimae per amantia lumina manant,  
     pollice quas tremulo conscientia siccat anus.  
 saepe tui specto si sint in litore passus,  
     inpositas tamquam seruet harena notas;  
 utque rogem de te et scribam tibi, si quis Abydo  
     uenerit, aut, quaero, si quis Abydon eat.

OVID *Heroides* xix 9-30